

quod attinet tria codicis vitia sunt manifesta. Primo enim hiatus ille ἀτάρβητα (codex a manu prima ἀταρβῆτα) ὄρματ' tanto absurdior est quod nihil prorsus caussae erat cur sic scriberet poeta, quum in promptu esset ἀτάρβητος scribere, quod in apographis quibusdam codicis Laurentiani annotatum est, aut ἀταρβήτως, ut legitur apud Suidam s. v. ἀτάρβητος. Deinde vitiosa est elisio diphthongi verbi ὄρματ', quod ορμάται scribendum erat, ut Triclinius scripsit, quamvis metris inepte descriptis. Apud Suidam est ὄρμα. Denique καγχαζόντων (a prima manu κακχαζόντων scriptum) contra linguam Atticorum peccat, qui una constanter usi sunt forma καχάζειν, ab librariis non minus constanter in καγχαζέειν mutata, ne metri quidem ratione habita, ut apud Aristophanem Eccles. 849. Γέρον δὲ χωρεῖ χλανίδα καὶ κονίποδε | ἔχων, καχάζων μεθ' ἑτέρου νεανίου, ubi libri καγχαζών. Vera autem restituta scriptura καχάζόντων sequebatur ut ἀπάντων restituerem, quod in πάντων fortasse ab correctore mutatum fuit dimetrum anapaesticum faciente πάντων καγχαζόντων γλώσσαις, metri ignaro antispastici

— — — | — — —

quo et hic versus scriptus est et praecedentes duo

ἀτάρβητος ὄρμαται  
ἐν εὐανέμοις βάσσαις,

quemadmodum tres primi huius carminis versus uno eodemque metro scripti sunt

— — — — — | — — — — — | — — — — —

Sic enim solent tragici strophas suas componere ut non diversissimas singulorum versuum species temere misceant, sed similia similibus consociant, duobus plerumque vel tribus, interdum etiam pluribus, eiusdem generis versibus sese excipientibus. Scriptura autem horum versuum levibus tantum vitiis est contaminata. De versu primo tantum constat, non scripsisse Sophoclem quod fuit qui coniiceret μακράων, sed vocabulo usum esse quadrisyllabo, sive id μακράωνι fuit, syllaba penultima longa, quae aliis huius metri exemplis defendi potest, sive aliud, syllaba penultima brevi, ut in versu proximo: cuiusmodi vocabulo μακράωνι ab glossatore substitutum esse potest. Versus tertius quum ab iisdem quibus secundus syllabis incipiat, non dubitandum quin idem utriusque versus metrum sit. Ex quo se-